



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 80. Lutheri provocatio a Pontificis Bulla ad futurum Concilium

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

§. LXXX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1520.*Lutheri provocatio a Pontificis Bulla
ad futurum Concilium.*

Aliud adhuc Breve idem Pontifex ad Raynald. hoc
ann. n. 65. Wittembergensem direxit Academiam, quo eandem ne ab avita semperque concupita pietate deflesteret, instanter adhortatur, simulque Bullam suam effectui dari præcepit, indictis etiam poenis severissimis. Ast hæc schola jamjam erroneis Lutheri opinionibus imbuta ejusmodi minas contemptui habuit.

Ipse etiam Lutherus, cum horum repugnantia suam auctoritatem crescere intelligeret, rursum a Papa ad Concilium appellare præsumebat, questus, se indicta caussa a Pontifice fuisse damnatum, cum Papa privatas suas opiniones sacris literis præferret, ac Concilii judicium declinaret. Postea Cæsarem, cunctosque Magistratus rogabat, ut suam appellationem pro justa Synodice auctoritatis defensione susciperent; non enim, inquit, existimo, quemdam solo Papæ decreto adstringi, nisi prius caussa in quadam Synodo mature sit discussa. Dabat die decima septima Novembris: edidit quoque alium librum, quo articulos omnes a summo Pontifice nuper damnates adeo non revocabat, aut errorum suorum quempiam, suam-

Sæcul. XVI. suamque vehementiam adeo parum
 A.C. 1520. moderabatur, ut etiam veteres hæreses
 confirmaret, novasque superadderet, quin
 imo hanc quoque propositionem pro-
 ferre non abhorret: *Quilibet Christianus,*
fæmina, & infans in absentia Sacerdotis
absolvere possunt, omnibus enim hæc verba
Christi Domini dicta: Quodcumque solveri-
tis &c. Eodemque furore contra cita-
 tionis decretum, cui tamen non parebat,

Affert. artic. in hæc verba prorupit: „ Romæ com-
 per Bull. „ parebo, prius tamen exspecto viginti
 damn. tom. 2. „ millia peditum, & quinque equitum
Propos. 13. „ millia, hæ copiæ me comitentur, fidem-
 fol. 94. „ que meam testatam reddant. „

Dum vero in Bulla arguebatur, quod
 quasdam Joannis Hussi propositiones
 tenuisset, ille tantum absfuit, ut errorem
 suum excusaret, prout antea consueverat,
 quin potius Papam alloquens in hæc ver-
 ba erumperet: „ Ita est, nec diffiteor, ea
Adversus „ omnia, quæ in Jeanne Husso conde-
Antichr. „ mnasti, ego approbo, & quicquid tu
exer. Bull. „ approbas, ego condemno; & hæc est
 to. 2. fol. 91. „ retractatio mea, quam mihi injunxisti,
Ibid. ad prop. „ num plura a me postulas? „

Denique non multo post tempore in
 quadam Epistola ad Episcopos (qui ta-
 men, inquit, falso tales dicuntur,) scri-
 psit, quod ejus missio omnino specialis sit,
 atque divina, crescente autem audacia

ie

se Ecclesiasten seu *Wittembergensem* Prae-Sæcul. XVI.
 dicatorem appellitabat, dicebatque, „ego A.C. 1520.
 „ ipsus mihi hunc titulum impono, post-
 „ quam enim tot Bullæ, tot anathema-
 ta, & Pontificis atque Episcoporum
 „ condemnationes mihi omnes avitos
 „ meos titulos abstulerunt, imo & in me
 „ bestiæ characterem deleverunt, ego
 „ autem absque titulo esse non possum,
 „ hinc ad significandum ministerium, ad
 „ quod a Deo vocatus sum, me hoc no-
 „ mine insignio, illud tamen nec homo
 „ nec hominis, sed Dei donum, & Chri-
 „ sti Domini revelatio indidit. „ Huic
 delirio insistens Lutherus a principio &
 in toto epistolæ suæ progressu semetipsum
 semper nominavit *Martinum Lutherum*
Dei gratia Ecclesiasten Wittembergensem.
 Præterea ne Episcopi hujus tituli igno-
 rantiam obtendere possent, palam illis de-
 claravit, quod ab eo tempore sibi metipsi
 novum hunc titulum imponat, *ad magni-*
ficum prorsus ludibrium omnium Episcopo-
rum, & ipsiusmet Sathanæ. His etiam ad-
 didit, „ jure etiam merito me appellare
 „ possum *Dei gratia Evangelistam;* cer-
 „ tissime enim Christus Dominus me
 „ hoc titulo dignatur, ac pro suo Eccle-
 „ siaste habet. „

§. LXXXI.